



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

1 Consecratio Ecclesiarum pluribus ex causis fuit instituta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

21 Iohannes Stephanus Agathia Episcopus Astenensis laudatur.

22 Ordo Mendicantium pluribus privilegijs gaudet.

ECCLSIARUM, & Altarium consecratio Episcopis competit ordinis potestate, ut *supra c. proximo, in princ.* & consecratio est simul sacratio, *cap. pudenda, 24. quas. 1. & glos. in cap. Episcopus, 23. dist.* pluribusque ex causis fuit institutum, quod ecclesiam consecrentur.

† Quarum prima, ut diabolus, & potestas ejus penitus expellatur. Cum enim quædam ecclesia Arrianorum fidelibus reddita consecraretur, & reliquæ sancti Sebastiani, & beatæ Agathæ illuc delatæ fuissent, *cap. Arrianorum, de consecr. dist. 1.* populus ibidem congregatus porcum repente inter pedes huc, illucque discurrentem fenserunt, qui fores ecclesiæ repetens, in exitu à nullo videri potuit, omnesque in admirationem commovit, quod idcirco Dominus ostendit, ut cunctis patefaceret, quod de loco eodem immundus habitator exiret, ut refert Gregor. *in dialog. lib. 3. relatus à Graff. decis. aur. par. 2. lib. 2. c. 15. num. mibi, nu. 5.*

Secunda, ut in eis decentius laudes Deo solvantur, & preces effundantur, quia Iudæi loca, in quibus sacrificabant Domino, divinis habebant supplicationibus consecrata, nec in alijs, quam dedicatis locis Deo munera offerebant; si enim Iudæi, qui umbræ legis deservebant, hoc faciebant, multo magis nos quibus veritas patefacta, & gratia per Iesum Christum, data est, † templa Domino ædificare, & prout melius possumus, ornare, eaque divinis precibus, sanctis unktionibus suis cum altaribus, & vasis, vestibus quoque & reliquijs ad divinum cultum explendum utensilibus, de-

votè, & solemniter sacrare, & non in alijs, quam in Domino sacratis ab Episcopis missas celebrare, frequentare, & in illis dotare debemus, *cap. 2. §. qualiter ergo, de consecr. dist. 1.*

Ecclesia est decentior locus orandi, juxta illud psalm. Unam petij à Domino hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: ibi enim animus ad devotionem magis excitatur propter solitudinem, & quietem, nec mediocriter adversatur exteriorum tumultus ad pacem mentis, & animi, & ad obtinendam tranquillitatem, quæ oranti animo necessaria est, ubique tamen orare licet, Paulus ad Timot. *c. 2. qui ait, Volo, vos orare in omni loco, & Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 53. num. 2.*

Tertia, ut ibidem dignè missæ celebrentur, & alia ecclesiastica sacramenta ministrantur, *d. c. 2. post med. de consecr. dist. 1. cap. hic ergo, & cap. nullus, ead. dist.*

Quarta, ut orationes sint magis gratæ, quia piè est credendum, quod ex hoc, cæteris paribus, divina virtus ibi assistat ad gratiam libentius infundendam, cum propterea in missa dedicationis, quæ singulis annis celebrantur, proferatur oratio, Deus, qui, & cæc. exaudi preces populi tui, & præsta, ut, quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur, & simili oratione Deum precamur in ipso die dedicationis ecclesiæ.

Consecratio enim † ecclesiarum fieri debet tam ex veteris, quam ex novi testamenti præceptis, quia Dominus locutus est ad Moysen, dicens, &c. ut faciant cuncta,